

excellentem ac planè cœlestem ejus doctrinam ruminantes, tanquam *favum* dulcissimum *cum melle* virtutum ejus heroicarum mistum, comedamus. 3. Demùm *vino* perfecti amoris inebriemur, admisto consolationum lacte; ut affectibus terrenis exuti, vel in ipsâ cruce, si Deo ita placuerit, mortem ipsam subire pro ejus amore non reformidemus.

Cùm verò ordinatæ caritatis gradus tres reperiantur, videlicet *inchoatæ*, *proficientis*, ac *perfectæ*: eodem modo in hâc meditationum viâ illuminativæ divisione, tres sunt partes, infantia, prædicationis ac passionis Christi; totidemque fines, ad quos illæ diriguntur: eâ tamen ratione, ut eæ meditationes, quæ de *infantiâ* sunt, ad teneriorem quemdam amorem, tanquàm lac et mel, divinarum consolationum, animos tironum præcipuè, deducant; quò faciliùs deinde ad heroicarum ejus virtutum imitationem excitentur. Neque in hoc triplici fine consistendum; sed conandum insuper, ut Christum verum Deum ac hominem certâ atque integrâ cognitione intelligamus, infinitam *personæ* illius dignitatem, atque inæstimabiles divitiis et gratiæ thesauros penetrantes. Atque ex hac cognitione, *ignis* ille amoris *in meditatione exardescet*, quò ad perfectam ejus imitationem velut inflammati rapiamur; donec in nobis fiat illud, quod S. Gregorius Nyssenus de quovis christiano affirmandum dicebat: ut *christianus* sit *alter Christus*, humilitate, patientiâ, reliquisque virtutibus, quibus illius in nobis formam imprimamus.

*Serm. de  
perf. form.  
hominis  
christian.*

Quod uti meliùs assequamur, perpendendæ nobis erunt, in hisce meditationibus, præcipuæ circumstantiæ. 1. *Personarum*, quæ in eo mysterio sunt, excellentia, et interiores affectus. 2. Earundem *verba* et modus proferendi. 3. Earum *opera*, actiones, virtutesque. 4. Earum *perpersiones* ac tormenta; ut ex singulis fructum aliquem spiritalem ad nos deriveamus, atque horum omnium imitationem, aliosque pios affectus, de quibus initio primæ partis dictum, in nobis excitemus.

*S Ignat.  
in Exerc.  
hebd. 2  
et 3.*

Et hæc omnia in quovis meditationum puncto servanda erunt: sed præcipuè circumstantia personæ, v. g. Christi D. et B. Virginis, consideranda erit, ut illius amorem ac heroicas virtutes et intellectu capiamus, et vitâ ipsâ imitemur. Quod uti meliùs assequi possimus, non parùm conferet prima meditatio, quæ hîc subjicietur de excellentiâ Regis nostri cœlestis, qui nobis ad imitandum proponitur.



**FUNDAMENTUM  
SECUNDÆ PARTIS  
MEDITATIONUM.**

*De Christo Rege invitante ad sui imitationem.*

**PUNCTUM PRIMUM.**

Christus Rex.  
Ps. 2. 6. **Q**UOD Christus datus sit nobis in Regem, quod confitetur ipse, Psalmo 2: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion.*

I. Hoc Rege melior, aptiorque dari nequivit; nam et est homo, undè compati possit sui similibus; et Deus, undè opitulari: et quod ait S. Leo:

Serm. 1. de Nat. *Nisi Deus verus esset, non adferret remedium: et nisi esset verus homo, non præberet exemplum.*

Regiæ virtutes. II. Deindè considerentur in Christo omnes regiæ virtutes: *Sapientia*, quâ novit indigentiam nostram; *omnipotentia*, ad sublevandum; *miseriçordia*, ad miserandum: *bonitas*, ut velit; *providentia*, ut studeat nobis consulere; *liberalitas et magnificentia*, quâ opes omnes, ac semetipsum impertit; *justitia et prudentia* in gubernando: denique *æternitas*; regnum enim ejus, regnum æternum, quod non corrumpitur.

Dan. 7. 14.

*De Christo Rege invit. ad sui imit. 155*

III. Comparetur hic Rex cum terrenis regibus. Hi tributa imponunt: ille aufert; imò exsolvit ex proprio ære suorum debita. Isti suos exhauriunt, ut ipsi abundant: ille egenus factus est, ut illius inopiã vos divites essetis. Isti, in regendo, à recto sæpè deflectunt, ignorantia, passione, aut malitia: ille nunquam; quippe infinite sapiens, justus et bonus. Isti graves leges imponunt, quas ipsi non servant: ille suaves, præitque exemplo. Istorum regna quamvis aurea, argentea, ærea, aut ferrea, tandem comminuuntur, quia basi nituntur fictili: illius non erit finis.

III. Comparatio cum regibus.

2 Cor. 8. 9.

Matt. 15.

Dan. 3. 1.

2.

IV. Hinc varii affectus concipiendi: veluti gratiarum actionis ad Patrem, pro tam nostrî amante, et absolutissimo Rege; gaudii et gratulationis, quòd liceat tali Regi familiarem atque intimum effici, id quod apud mortales reges tanti sit; desiderii ac studii omnia exantlandi tanti Regis gratiã.

IV. Affectus.

**PUNCTUM II.**

Quemadmodum hic Rex suos subditos alloquat et invitet. 1. Ait decretum sibi esse, juxta æterni Patris præceptum, dæmoni, mundo et carni, vitis que omnibus bellum indicere, ut, iis debellatis, cœlestem Patris regiam triumphator obtineat. Porro, qui sequi se velint in hâc expeditione, conformari ipsos debere suo Duci, ut cum illo similiter regnent, juxta illud: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* 2. Ad

Christi hortatio.

Joan. 12. 26.



Motiv. sequendum alliciunt ista. 1. Vocantis dignitas, et imitat. mille nomina quibus obstrictus ei sum. 2. Justitia causæ: ut hostes infensissimos profligemus; cujus rei utilitas est potissimum mea. 3. Exemplum Ducis, qui, ut præiret, è Cælo venit; quique majori jure, quàm Gedeon, aut Abimelech, illud requirere à nobis potest: *Quod me facere videritis, facite.* 4. Promissio certissima victoriæ et coronæ; si per nos non steterit. 5. Denique secutura inde gloria Dei Patris, et ipsius Christi. His tanquam *funiculis Adam*, et *vinculis caritatis* trahis nos, ô Rex. O si obsequamur!

Jud. 7. 17.  
et 9. 48.

Osee. 11.  
4.

## PUNCTUM III.

Bern. ser. 21. sup. Cant. Diversitas sequentium. Quod pauci sequantur Christum. 1. Omnes quidem, ut ait D. Bernardus, christiani volunt pervenire ad Christum: sed pauci ipsius vestigia sequi, quibus juravit Dominus: *Quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam; Et: quia vocavi, et renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* 2. Aliqui sequuntur, sed eminens, quoad præcepta tantum; ut ille adolescens, qui abiit tristis, cum audiret à Domino: *Si vis perfectus esse, vende que habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me.* 3. Alii per omnia ducem suum sequuntur, posthabitis etiam concessis voluptatibus, divitiis, honoribus, in voluntariâ paupertate, castitate et obedientiâ; qualem ille vitam amplexus est; quibus nunc *centuplum promittitur*, et in posterum *vita*

Matt. 19.  
29.

æterna: quamvis non tam ob eximiam remunerationem, quàm ob immensum debitum, quo obstringimur, amandi hunc Regem, eique modis omnibus inserviendi, id præstari conveniat; et quia, ut ait Sapiens, *Gloria magna est sequi Dominum*; eoque major, quò propius sequimur, satagentes illud implere: *Perfecti estote, sicut Pater vester cælestis perfectus est;* et adeo, sicut Rex noster, quem Pater nobis ad imitandum proposuit. Qui autem specialiter ad hoc vocati non sunt, promptum nihilominus animum, studiumque suum offerant, usurpantes illud: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* 4. Sunt alii, quibus satis non est ita Christum sequi, nisi alios quoque ad idem pelliciant, ac convocent, ut est in proverbiiis, *ad arcem christianæ perfectionis*; quales sunt religiosi illi, quorum est institutum, apostolorum instar, non modò saluti et perfectioni propriæ, verùm etiam proximorum, incumbere.

Ecclesi. 23.  
38.

Matt. 5.  
48.

Ps. 107.  
2.

Prof. 9.  
3.

## MEDITATIO I.

*De Decreto divino Incarnationis Verbi,  
pro reparatione hominis.*

## PUNCTUM I.

Quod Deus ab æternitate statuerit humanum genus in Adamo lapsum reparare, tum misericordiâ divinâ, tum miserâ nostrâ id flagitante.

Decre-  
tum.



I.  
Deus an-  
gelis jus-  
tus.

Homini-  
bus mise-  
ricors.

I. Considerat ad imaginem suam tum angelos, tum homines: sed cum illis plurimi peccassent, voluit in eis justitiæ suæ severitatem exercere; in his autem misericordiæ divitias ostendere. Quod ex parte Dei suadebat ipsa misericordia; quia cum in angelis peccantibus exercuisset justitiæ severitatem, debebat ipsum in homine saltem misericordiam exhibere, quæ maximè apparet in condonatione peccatorum, ne justus tantum et rigidus, nulloque modo misericors haberetur.

II.  
Causæ.  
Aliena  
culpa.

II. Ex parte verò hominis, misericordiam divinam provocabant duæ causæ. 1. Quòd aliena unius culpa reliquos infecerat, et reos constituerat, absque propriâ singulorum voluntate: et quòd non pauci, sed totum genus humanum interibat; mundusque iste causâ hominis creatus, frustrabatur penitens suo fine, dum nulli prorsus hominum ad salutem consequendam usui erat futurus. Non conveniebat autem ut Deus totum suum opus, omne scilicet genus hominum, interire sineret, providentiamque suam circa mundi conditionem, proposito fine universè fraudari. Quare ad misericordiam divinam inflectendam, nos etiam illa duo efficaciter allegare

Ps. 50. 7.

Ps. 137. 8.

Sap. 11.

25.

Job. 14. 15.

Serpentis  
tentatio.

et quòd *opus manuum Dei simus. Nihil enim odisti, Deus, eorum quæ fecisti; et operi manuum tuarum porriges dexteram.* 2. Causa, quòd homo diaboli fraude inductus est. Is enim, cum in Deum nihil posset, à quo fuerat damnatus, iram suam in Dei imaginem

convertit. Quare hominis causam Deus, ut suam, suscepit, ne malignus contra Deum gloriaretur; quasi in Deum egregiè ultus, dum ab ejus obsequio hominem abalienasset. Sicque statim Deus ipsi denunciavit fore, ut qui mulierem deceperat, à muliere vinceretur: *Ipsa conteret caput tuum.* Et quia eodem livore nunc etiam impetitur à dæmone, licet ad Deum similiter clamare: *Exurge, Deus, judica causam tuam.* Gen. 3. 15.  
Ps. 73. 22.

## PUNCTUM II.

Quòd Deus Pater, ad remedium peccati, ipsum Filium suum voluerit incarnari. 1. Habuit alios modos: vel per meram condonationem; vel, si per modum satisfactionis, potuit creare hominem peccati expertem; vel per aliquem angelorum salutem afferre: sed elegit quod optimum. Non enim alius reparator aptior, non medium efficacius, non redemptio copiosior reperiri potuit: ut *ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia.* Optimum  
medium  
satisfac-  
tionis.  
Rom. 5. 20.

II. Confer culpam hominis cum remedio. Ille superbivit; divinitatem, scientiamque Dei affectavit: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* quo meruit cum totâ stirpe deleri in perpetuum. Contra verò Deus in remedium abjicit sese: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus,* ut homo gloriâ et honore coronaretur: imò ut fiat Deus; in Christo quidem per unionem personæ, in reliquis verò per gratiæ adoptionem. II.  
Satisfactio  
opposita  
peccato.  
Gen. 3. 5.  
Phil. 2. 7.







Mundum. me ex merâ gratiâ. 2. Dilexit autem mundum, hoc est peccatores, contemptores ipsius majestatis. In hoc commendat caritatem suam, quòd, cum inimici essemus, ita dilexit. 3. Conferam, quàm sint diversa Dei et hominum studia: illius, in diligendo; hominum, in posthabendo illius præcepta, et tam eximiam caritatem. Applicabo hæc omnia ad me sigillatim: quòd ego sim ille ita à Deo dilectus, et ille vicissim ita in Deum ingratus.

## PUNCTUM II.

Quota dilectio. Quantum dilexit? Primò ex dono intellige: *Ut Filium suum unigenitum daret.* Amor Dei erga creaturas non verbis constat, sed factis; et quò plus quemquam diligit, majora ei præstat. Quando igitur summum quod habet, mundo donat, infinite illum amat. Exaggeratur iste amor, si consideretur in quem tam eximium donum conferatur: in mundum ingratisimum, qui pro dono reddit Deo omne genus flagitii et offensæ. O! reddam ego meliorem vicem Deo meo; quidquid sum et valeo: idque non verbo aut linguâ, sed opere et veritate!

## PUNCTUM III.

Causæ dilectionis. Quare ita dilexit? Ut incarnaretur Filius Dei: nempè, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 1. Ut liberemur ab interitu, hoc est, à peccato, quod est mors animæ; et à servitute diaboli, et gehennâ æternâ. 2. Ut vitam gratiæ et

gloriæ adipiscamur. 3. Nemo à participatione tanti fructûs excluditur; ait enim: *Omnis qui credit; uti- que fide vivâ, quæ per caritatem operatur.* Hinc collige triplicem quasi finem mysterii Incarnationis. 1. Ut patefaceret nobis Deus thesauros suæ bonitatis, potentiæ, aliarumque perfectionum, ut in primâ meditatione hujus partis est ostensum. 2. Ut liberaremur ipsi à tantis malis. 3. Ut cum Deo æternum regnaremus. Hoc quasi triplici funiculo devincit nos sibi Deus, ut ipsum toto corde redamemus; tum quia ob infinitas suas perfectiones dignissimus est; tum, quia est salus, redemptio, beatitudo et corona nostra.

## MEDITATIO III.

## De Electione Matrîs, ac ejus Conceptione.

## PUNCTUM I.

VOLUIT habere Matrem, cum potuisset corpus jam perfectum sibi assumere, ut dedit Adæ. Causæ potuerunt esse istæ. 1. Ut utrumque sexum insigni honore afficeret, virum, ex sumptione naturæ, feminam, ex eâ carnem accipiens. Videlicet propter omnes venit; et ita voluit etiam hanc feminam huic mysterio cooperari. 2. Ut, quia nobis (ut ait D. Bernardus) unus vir et mulier una vehementer nocuere, per unum nihilominus virum, et mu-

Joan. 3. 16.  
Gal. 5. 6.  
Tres fines  
Incarnati-  
onis.

Cur Deus  
ex Matre.



lierem unam, omnia restaurentur. 3. Ut nobis loco matris esset, et apud Filium advocata: nam is etiam Deus est, et iudex; et eatenus timendus. 4. Ut infans factus, et subditus matri, subjectionis nobis præberet exemplum.

## PUNCTUM II.

Electio Matris gratuita. Quòd hanc inter mille elegerit, non ob ejus propria merita; sed potius, quia in matrem elegit, ideò in eam contulit tot illa, tantaque ornamenta, quibus digna Dei mater efficeretur. Gratulabor ipsi, ac beatam dicam: *Quia fecit ei magna qui potens est.*

## PUNCTUM III.

Singularis. Electio Dei Matris est planè singularis: unde Cant. 6. 9. etiam dicitur *Electa ut sol*; quasi unica inter creaturas, uti unicus est in mundo sol. Quod igitur univèrsè de electis dicitur: *Elegit nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in caritate*, id singulariter in Dei Matrem convenit. 1. Electa est, ut Electa Sancta. esset sancta, ut quæ editura erat Sanctum sanctorum, esset quoque ipsa Sancta sanctorum. 2. Electa est, ut Immaculata. immaculata esset, et supra omnes pura: ut quemadmodùm Christus, quæ Deus, Patrem habet ipsum puritatis fontem, ita et quæ homo, purissimam haberet Matrem. 3. Electa est, ut talis esset In conspectu Dei. in conspectu Dei, non foris tantùm, et ad oculum; sed intenta semper, ut Deo placeret: nec id solum; sed etiam in conspectu incarnati Verbi, cui erat ma-

terna obsequia exhibitura. 4. Et postremò, electa est In caritate. in caritate, quæ nimirum à sanctissimâ Trinitate supra omnes creaturas dilecta fuit: à Patre quidem, quòd Mater esset futura unigeniti Filii sui; à Filio, quòd sua ipsius Mater; à Spiritu sancto, quòd ipse obumbraturus esset Matri Virgini, Dei Filium concipienti.

## PUNCTUM IV.

Conceptio B. Mariæ. Quòd venit plenitudo Privilegia Conceptionis B. M. Virginis. temporis, concepta est B. Maria, qualem esse Matrem Dei decebat, et qualem potuit sapientia divina sibi Matrem præparare: quatuor imprimis insignitam prærogativis. 1. Concepta est absque labe originali, quia id Filio Dei ex eâ nascituro debebatur. Nec ideò non est B. Virgo per Christum redempta: nam cum duo sint redemptionis bona, vel à peccato mundari, vel; ne illud incurras, præservari; istud est præcipuum perfectissimaque redemptio. Præservata autem est à peccato; dum felix illius anima præventa est infusione divinæ gratiæ et caritatis, ne ipsa corpori infusa ex carne ab Adamo proseminata culpam originalem contraheret. 2. Omnis mali fomitis et concupiscentiæ expers fuit; quales primi parentes conditi sunt: quòd posterior Eva non debuerit esse inferior priore, cum creata est; ut nec secundus Adam inferior extitit primo, sed tantò superior. Et præservatio ab originali culpâ hoc postulabat, ut rebellionem carnis, pugnâque cum spi-



ritu careret: quando hæc pugna præcipuus est effectus culpæ originalis, à quâ Dei Mater fuit exempta. 3. Confirmata fuit in gratiâ, ut ab eâ excidere nunquam posset per lethale peccatum; nec verò per veniale de caritatis fervore remittere. Quin ita in Deum ordinata fuit illius caritas, ut in actionibus suis omnibus id semper ageret quod optimum, Deoque maximè gratum esse intelligeret: quæ est perfectio beatæ vitæ. 4. In ipso conceptu tanta ei copia gratiæ habitualis, cœlestiumque charismatum donata est, quanta nulli alii, etiam angelorum, contigit; imò quam, vel accessione insignium meritum, nemo potuerit æquare. Quòd si talis concepta est, quantum erit illud gratiæ, quod excellentissimis suis promeritis per omnem vitam accumulavit? Quantum porrò gloriæ, tum gratiæ primùm infusæ, tum reliquis vitæ meritis respondens? Utiquè immensum gloriæ pondus sortita est. Nec vanum est, quòd tantâ illam gratiâ præventam dicimus, præ omnibus etiam cœlestibus; quando præ omnibus tantò differentius nomen hæreditabit, ut Mater Dei nominetur, et sit.

Confirmata.

Gratiâ plenissima.

## MEDITATIO IV.

De Nativitate et vitâ B. Virginis usque ad Annuntiationem.

## PUNCTUM I.

NATIVITAS ejus gaudium attulit universo mundo. Ipsa Trinitas sanctissima gavisata est; quando illa nata erat, per quam exhibere mundo gloriam suam, salutemque nostram operari decreverat. Ipsi angeli in Cælo, patresque in limbo, et in terrâ justi, credi possunt inusitato lætitiæ sensu fuisse à Deo perfusi, quamvis ejus causa non esset omnibus perspecta. Nimirum ut aurora solet, prænuntia solis, exhilarare animos; ita Mariæ ortus mundum lætificavit. Quòd si multi in nativitate præcursoris gavisati sunt, quantò major in nativitate Genitricis Dei fuit causa gaudendi? Porrò est quædam ejus nativitas spiritualis, cum peculiaris quædam devotio erga Dei Matrem in corde nostro oritur, signum haud dubium appropinquantis ad nos justitiæ Solis: adeò, ut B. Anselmus non dubitet affirmare eam devotionem signum esse æternæ prædestinationis, ipsâ Dei Matre impetrante nobis certa salutis media. O Virgo potentissima! *In Eccli. 24. 13.*  
electis tuis mitte radices.

Nativitas B. M. gaudium affert.



## PUNCTUM II.

De Nomi-  
ne B. M.

Nomen ei impositum *Mariæ*. Credibile est, divino instinctu : nam et variæ nominis ejus notiones aptè significant hujus puellæ excellentias. 1. Exponitur stella maris, et est *Maria* faustum sidus mare hujus seculi navigantibus. 2. Mare amarum. Est *Maria* pelagus gratiarum, in quâ omnes, tanquam in mare flumina confluerunt; quia et amaritudinibus *Luc. 2.35.* redundavit: Cujus animam pertransiit gladius. 3. *Domina et Exaltata*, utiquè Domina suarum appetitionum; item angelorum, quia super omnes exaltata: imò, si ita loqui fas est, etiam Dei ipsius; quando *Luc. 2.51.* Christus ei subditus erat. 4. *Illustrata, sive illustrans*; nam et sibi et aliis lumen accepit, quæ apostolorum *Cant. 1. 2.* magistra meruit appellari. O *Maria!* *Oleum effusum nomen tuum*; illuminans, sanans et exhilarans.

## PUNCTUM III.

Præsent.  
B. V.

Triennis præsentatur in templo. 1. Voluit Deus eam ab infantiâ sibi dicari, et quasi in domo regiâ educari, quam Filio suo destinaverat matrem: nec minus eidem destinaverat quasi sponsam; quam velut in- *Ps. 44. 11.* vitans, ait: *Audi, filia, et vide: obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.* Obaudit virgo ac libentissimè obsecuta est, tum parentum voluntati, quia, Deo inspirante, illam præsentare divino servitio voluerunt; tum divino instinctui interiùs eam moventi: nam et rationis

tionis usum jam tunc habuisse (si non antea ex utero Matris, sicut Joannes) credendum est. Felices, quos Deus tempestivè accipit à seculo malo! 2. Consideranda pietas parentum, Joachimi et Annæ, qui obsequentes divinæ inspirationi, filiam unicam obtulerunt; ut Anna altera Samuelem, postquam ab- <sup>1 Reg. 1.</sup> lactatus fuisset. Offeram et ego me; libertatem et <sup>28.</sup> amorem omnem. 3. Puellæ promptitudo et fervor. *Lætata*, inquit, *sum in his quæ dicta sunt mihi: in* <sup>Ps. 121. 1.</sup> *domum Domini ibimus.* Ingressa templum, alacriter gradus conscendit; per hoc innuens, quanto fervore ad culmen perfectionis ferebatur, ut ei optimè conveniat illud: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te:* <sup>Psal. 83.</sup> *ascensiones in corde suo disposuit. Ibunt de virtute in* <sup>6.7.</sup> *virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Superatis gradibus, humi prosternitur, et ipsa semet penitus Deo offert et consecrat; non ad tempus, ut aliæ virgines solebant, sed in perpetuum. Ascendit oblatio in conspectu Dei, in odorem suavitatis, *Odo-* <sup>Gen. 8. 21.</sup> *ratusque est Dominus odorem suavitatis*, et ait: *Veni, sponsa mea, ponam in te thronum meum; in te habitabo.*

## PUNCTUM IV.

Vitæ ratio in templo. I. Proficiebat ætate et spiritu, quasi lux splendens, et crescens usque ad perfectam diem. 1. Per singulas actiones augebatur caritate et gratiâ. 2. Singulas faciebat omni contentione et studio possibili. 3. Discretè et constanter

Vita B. V.  
in templo.  
Crevit.



operabatur. 4. Pios ubiquè affectus miscebat; et quasi condiebat quascumque actiones. Quare admirati angeli dixisse videntur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* quæ non retrocedit, sed crescit semper; *Pulchra ut luna?* plena gratiæ; *Electa ut sol?* non habens parem; *Terribilis ut castrorum acies ordinata?* omnibus instructa virtutibus, sub regimine invictæ caritatis. II. Consideranda sunt exercitia illius mentalia quæ comparari possunt scalæ Jacob. Gradus autem fuerunt: *Lectio, Meditatio, Oratio et Contemplatio.* Lectioni sacræ Scripturæ insistebat: lecta, meditando ruminabat, tum orationes ferventissimas ad Deum fundebat; et denique per contemplationem Deo inhærebat, liquidissimas hauriens voluptates. Sic ascendebat beata illa anima; sed et descendebat ad opera manuum in usus templi, inter ipsa autem opera à Deo nunquam recedens. Porro angeli etiam ipsi ascendebant et descendebant; quia solent sic occupatos suâ visitatione consolari, ferreque in Cælum preces.

## PUNCTUM V.

Virginitatem vovet, videlicet cupiens quàm maximè placere Deo, et tota ipsius esse; planè non cogitare, quæ mundi sunt. *Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus:* conclusus et comminutus per votum, ut nulli pateat accessus, præterquàm Sponso. Unde illud: *Quomodo fiet istud?*

Vovet Virginitatem.

Cant. 4. 12.

Luc. 1. 34.

## PUNCTUM VI.

Nihilominùs desponsatur viro, præscia divinitùs voto suo id nihil obfuturum. Voluit ita Deus; 1. ut mysterium celaretur diabolo; dum putaret Mariam more aliarum concepisse; 2. ne haberetur adultera, cum peperisset; 3. ut haberet vitæ solatium, et auxiliium in educatione Filii.

Desponsatur.

## PUNCTUM VII.

1. Desideria incensa adventùs Salvatoris. Solet Deus eximium aliquid collaturus, desiderium ejus excitare, quò præparetur animus. 2. Deinde caritas Virginis, quâ ferebatur in Deum, accendebat desiderium videndi illum in terris conversantem: ut in Canticis: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, (factum hominem) ut inveniam te foris, et deosculer?* 3. Præterea urgebat illam zelus gloriæ, à cujus notitiâ et obedientiâ totus mundus aberrabat; necnon cura salutis humanæ: ut proinde voces illas Patrum assiduè usurparet: *Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos, etc. Et salutare tuum da nobis. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.*

Desideria Incarnationis.

Cant. 8. 1.

Zelus.

Ps. 79. 3. et 84. 8.

Isa. 45. 8.



## MEDITATIO V.

De Tempore exhibitæ Redemptionis.

## PUNCTUM I.

Promissa  
redemp.

CUM homo peccasset, et mortis sententiam Deus in illum ferret, misericordiæ recordatus, statim ei remedium promisit, per semen mulieris, quod est Christus. Magni interest, ut, qui lapsus est, continuo respiscat. Dum autem futurum Mediatorem Deus promittebat, ad pœnitentiam et reconciliatorem jam tunc invitabat; nam in fide Venturi, justificari statim potuerunt.

## PUNCTUM II.

Oppor-  
tuno tem-  
pore.

Gen. 1.26.

Quam opportunitatem Deus capet sui consilii exequendi. Attollam oculos in personas divinas, decernentes, sicut olim, *faciamus hominem*, ita jam, subveniamus lapso. Dein convertam me ad homines in terrâ degentes, omni flagitiorum genere coopertos, cum summâ veri Dei ignoratione, imò etiam sibi divinitatem arrogantes: et ipsum quoque Dei populum, planè moribus corruptum, itaque affectum, ut non esset venientem Salvatorem recepturus, sed ei potiùs necem illaturus. Atque hoc mundi statu, ut veniat, decernitur: quasi captatâ occasione, ut per improbitatem sui populi neci datus, hanc ipsam verteret in remedium: quod et factum. Vide carita-

De Miss. Gabr. et Salut. Virg. 173

tem non aversantis peccatores; vide misericordiam tali modo subvenientis.

## PUNCTUM III.

Cur non venerit ab initio, duæ sunt causæ. 1. Ut, <sup>Causæ  
dilatationis.</sup> morbo invalescente, magis appareret necessitas remedi, ac medici virtus. 2. Ut magis desideratus veniret, plurisque fieret beneficium. Gratulabor mihi, quòd me vivere contigerit, postquàm exhibitus est, ut participare valeam copiosius de plenitudine illius.

## MEDITATIO VI.

De Missione Gabrielis, et Salutatione Virginis.

## PUNCTUM I.

EXPEDITUR legatio ad Virginem. 1. Deus mittit: summa dignatio! *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum.* 2. Mittitur angelus Gabriel, cujus notio nominis est, *formitudo Dei*; quasi, quod nuntiaret, quamvis difficile, Dei virtute perficiendum foret, apud quem *non erit impossibile omne verbum.* 3. Mittitur ad Virginem, non celebrem mundo, sed fabro desponsatam, in civitate ignobili. 4. Summa legationis, ut velit esse *Mater Dei*, Etsi Deus potest quidvis jure suo à creaturâ requirere, vult tamen obsequium nos-



trum esse voluntarium , quò sit suavius. Sic, neque per gratiam ad hominem venit, nisi volentem. 5. Legationes Dei ad singulos hominum, sunt inspirationes sanctæ; quæ pro talibus reverenter excipiendæ sunt, et obsequenter.

## PUNCTUM II.

Salutatio  
Angeli.

Salutatio Virginis. Gabriel in assumpto aereo corpore decorus et gravis, sanctimoniam referens, ingressus conclave, reverenter Virginem salutat. Sic nuntii Evangelici toto habitu corporis præ se ferant modestiam, atque interiorem animi compositionem.

Ave.

1. Ave; pax tecum: securam esse vult. O Ave, quæ Evæ nomen commutasti, illiusque maledictionem in benedictionem! 2. *Gratiâ plena*. Non compellat ex nomine, Maria; sed novum ei nomen imponit,

Gratiâ  
plena.

Luc. 1. 28.

*Gratiâ plena*; quo in primis gaudere debeat. *Plena* vocatur per excellentiam: nam etsi alii quoque pleni dicti sunt *gratiâ*; at hæc præ omnibus. Quippe capacitas vasis amplior, quantò Matris Dei dignitas antecelluit omnes alias: debuit enim accipere gratiæ tantum, ut digna fieret Mater Dei. 3. *Dominus tecum*: omni modo quo est in justis, sed in te excellentius; tecum per gratiam, et peculiarem providentiam; et mox etiam habitaturus corporaliter in utero tuo. Abstinet à verbo, *est, fuit, aut erit*;

Dominus  
tecum.

Ps. 111. 6.

Benedicta  
tu in mu-  
lieribus.

quia sine variatione semper tecum: *In æternum non commoveberis*. 4. *Benedicta tu in mulieribus*; expers maledictionis illius: *In dolore paries*; siquidem abs-

que illecebrâ concipies: Item illius, quæ opprobrio erat in populo judaico, *sterilitatis*; nam virgo concipies. Sed indè potissimum benedicta, quia in Filio tuo benedicentur omnes gentes; atque ita omnium benedictionum Mater existes. O benedicam te in vitâ meâ; et tu me benedictionum Filii tui participem facito!

## PUNCTUM III.

Quomodo Maria excipit salutationem? 1. *Castè*; B. V. virtutes. sola, sine teste, ad viri assatum turbatur. 2. *Humiliter*; dum audit sua præconia, hæret. 3. *Prudenter*; examinans *Qualis esset ista salutatio*. 4. *Silenter*; verecunda, tantum vultus mutatione loquens: *Pulchræ Cant. 1. 9. sunt genæ tuæ sicut turturis*, avis castæ et verecundæ. O si Eva sic excepisset verba serpentis!

## PUNCTUM IV.

Angelus instat. 1. *Removet timorem*: *Ne timeas*. Instat Angelus. Est proprium boni angeli, sedare turbatos animi motus; quod est necessarium ad divina excipienda: quamvis ea Mariæ turbatio caruerit vitio, imò fuerit laudabilis. 2. *Fiduciæ causam indicat*: *Invenisti enim gratiam apud Deum*. O securum mentis solatium! Ab hoc fonte manant reliqua: quòd *gratiâ plena*, quòd *Dominus tecum*, quòd *benedicta sis*. O, inveniam gratiam apud Filium tuum, virgo Mater benedicta.